

EXERCITATIO XXXII. 233

cadit, nam si verum est Deum existere, si hoc cum veritate affirmatur, ergo rectè conclusum est, ergo pro demonstrato habetur. 2. propter præmissas hoc factum est, quia cum conclusio nimis evidenter sequatur ex illis, vel potiùs eadem sit cum illis, vix aliter efferri potuerunt. Conclusionis hujus sic illatæ non tam scientia est, quam propter parem cum præmissis claritatem atque evidentiam quasi intelligentia intuitiva.

EXERCITATIO XXXII.

*Quomodo solius Dei existentia sit de ejusdem essentia.*

1. **C**ontra id quod à Metaphysicis dicitur & superiori Exercitatione atque alibi probatum est, *hoc esse Dei proprium, ut ejus existentia sit de ejusdem essentia*, opponitur, quòd existentia etiam sit de essentia rei cogitantis v. g. mentis humanæ, vel angeli, quam difficultatem tollendo istud de Deo effatum explanabitur.

2. Respondetur igitur primò sic: cùm dicimus in Dei essentia contineri existentiam, non quamlibet intelligimus, sed *actua-*  
*lem*: at in essentia rei cogitantis tantùm includitur existentia *possibilis*.

P 5

3. Hu-